



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||  
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniæ Agrippinæ, 1598**

X. De Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](#)

DE NATI-  
VITATE S. IOAN-  
NIS BAPTISTAE.

MEDITATIO X.

EVANGELIVM.

**E**LISABETH autem impletum est tempus pari-Luc.1.  
endi, & peperit filium . Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei . Et factum est ; in die octavo venerunt circuncidere puerum , & vocabant eum nomine patris sui Zachariam . Et respondens mater eius, dixit nequaquam , sed vobis  
bitur Ioannes . Et dixerunt ad illum . Quia nemo est in cognatione tua , qui vocetur hoc nomine . Innuebant autem Patri

Patri eius, quem vellet vocari eū. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens, Iohannes est nomen eius; & mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens DEVM. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc, & posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes. Quis putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zcharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit dicens. Benedictus Dominus Deus Israhel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.

## FIGVRA.

4. Reg. 4.

**E**LISAEVS prophetaresuſci-  
taturus filium mulieris Suna-  
mitidis præmisit seruum suum Gie-  
zi, mandans ei, vt accingeret lum-  
bos suos, baculumq[ue] suum poneret  
super

*super faciem mortui pueri, quem  
secutus est Propheta, eumq; à morte  
excitauit.*

## PROPHETIAE.

1. *ECC E ego mitto angelum meum, & Mal. 3.  
præparabit viam ante faciem meam.*
2. *Paraui lucernam CHRISTO meo. Psal. 31.*
3. *Dominus ab utero vocauit me, de Esa. 49.  
ventre matris meæ recordatus est nominis  
mei.*
4. *Tu puer Propheta altissimi vocabe. Luc. 1.  
ris, præibis enim ante faciem Domini pa-  
rare vias eius.*

## CONSIDERATIONES.

**I**N veteri testamento legimus, ma **Punct. I.**  
gno propheta Helisæo agente in 4 Reg 4.  
monte Carmelo, filium mulieris Su-  
namitidis, quæ consueuerat Prophe-  
tam hospitio recipere, mortuum in  
ea ipsa domo iacuisse. Vnde mater  
summo dolore affecta illico se con-  
tulit ad prophetam, multisque la-  
chrymis cum rogauit ut vellet de-  
scendere, ut quemadmodum suis o-  
rationibus & meritis impetrasset fi-  
lium istum, sic etiam nunc mortuū  
dignaretur vitæ restituere. Præmisit  
tunc

tunc Helisæus seruum suum Giezi  
accinctum lumbis eum baculo suo,  
vt eo super faciem pueri defuncti  
posito, quodammodo disponeretur  
ad resuscitationem mox consecutu-  
ram. Verum mæsta mater nouis pre-  
cibus instans obtinuit, vt Propheta  
ipse se conferret ad excitandum fi-  
lium. Elisæus ergo ingressus domū,  
& locum in quo iacebat puer mor-  
tuus, clauso ostio oravit Dominum,  
& incumbens corpori mortuo, ita  
se contraxit, vt os poneret super  
os eius, & oculos, super oculos,  
manus super manus, caloreque suo  
illud calefaciens resuscitauit, & vi-  
uum matri suæ restituit. Quis verò  
est alias hic magnus Propheta in  
monte sedens, nisi vnigenitus Dei  
filius, qui quietè sua ipsius fruebatur  
fœlicitate & gloria, totumq[ue] mun-  
dum è cæli fastigio gubernabat? Hic  
est est propheta ille in veteri lege  
promissus, de quo ad populum Ista-  
hel Moyses in hæc verba locutus est:  
*Prophetam de gente tua, & de fratribus  
tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus  
Deus tuus; ipsum audies.* De hoc eodem  
Propheta, cum iam aduenisset, & ad-  
miranda opera in mundo patraret;

dix-

Deut. 18.

dixerunt turbæ. *Quia Prophetam magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.* Verè magnus est, quia magnus est Dominus, & operum admirabilium effector. Deinde in persona pueri mortui considera genus humanum, quod miserabiliter mortuum iacebat, viuifico diuinæ gratiæ spiritu destitutum, & per peccatum suum æternæ condemnationi addictum Hunc filium suum deplo- rabat Synagoga eius mater, cælesti sponso supplicans vocibus illis Prophetarum & Patriarcharum, qui tanto desiderio aduentum Saluatoris expectabant, rogabantque ut cælos suos inclinaret, & descenderebat ad restituendam homini eam vitam gratiæ, quam in statu innocentiæ creando illum impertiuera. Motus igitur Dominus misericordia, partim humanæ miseriæ magnitudine, partim suæ Ecclesiæ precibus, de redimendo homine deliberans, primum ante se emisit, ut fecerat Elisæus, seruum suum Ioannem renibus accinctum, quod aliud non designabat, nisi eius continentiam & virgineam castitatē. Deinde misit cum suo baculo, quod significauit

præ-

## 286. M E D I T A T . DE

prædicationem timoris & pœnitentiæ, qua Ioannes eos permouebat, & dura illa corda præparabat, ad recipiendum Salvatorem post ipsum venientem. Posuit Ioannes hunc baculum super faciem pueri mortui, sed non resuscitauit: nam baptismus eius non dabat, sed tantum demonstrabat gratiam, & ad illam disponebat. Denique descendit magnus ille Propheta ex alto, ad illuminandum & viuificandum sedentes in tenebris & umbra mortis, Adhæc considera, quomodo se infinita illa maiestas contraxerit, & humana natura assumpta se abbreviarit, factus parvulus similis nobis. Vnde factum est, ut suæ caritatis flammis nos calefaciens, & pectoris nostri glaciem igne suo quem venit mittere in terram dissoluens, morte sua nobis restituerit gratiam & vitam æternam.

2. ELISABETH, tempore pariendo completo, peperit filium. Vide quam admirabilis hic infans nō solum sanguine iunctus, sed etiam conformis C H R I S T O fuerit in omnibus vitæ actionibus.. Ac certè admodum conueniens fuit illum, quo Dominus quasi instrumento uti voluit

luit ad dandum redemptioni nostræ  
initium, alijs omnibus ipsi Domino  
in viuendi ratione esse similiorem.  
Vnde & sicut CHRISTVS in vete-  
ri lege fuit varijs modis præfiguratus  
& prænunciatus; sic & Ioannes à  
Prophetis prædictus & multo ante  
promissus fuit. CHRISTVS ab an-  
gelo Gabriele annunciat us est virgi-  
ni matri suæ, & sanctum eius nomē  
simul ab eodem manifestatum: simi-  
liter ab eodem angelo Ioannes patri  
suo Zachariæ annūciatus est, & pro-  
prio nomine appellatus. CHRISTVS  
à primo suæ conceptionis  
momento fuit sanctissimus, omnis  
maculæ originalis expers: & Ioannes  
quasi à prima sua origine est in vte-  
ro matris sanctificatus. CHRISTVS  
fuit diuinitus conceptus, & natus ex  
matre Virgine. Ioannes est per mi-  
raculum conceptus & natus de ma-  
tre sterili. In nativitate CHRISTI  
angeli Deo dedere gloriam, & pa-  
stores gauisi sunt: in hac verò Ioan-  
nis pater benedixit, & laudem Deo  
dedit. vicini verò & cognati Elisa-  
beth ei congratulati sunt. CHRISTVS  
multos annos latuit, antequā  
se manifestaret mundo. Ioannes si-  
mili-

## 288 MEDITAT. DE

militer, puer in desertum se abdidit, ibi que multis annis delituit, antequā initium prædicandi ficeret CHRISTVS nunquam litteras didicit, sed à primo conceptionis plenus fuit diuina sapientia. Sic Ioannes magistrum in terra non habuit, sed à Spiritu sancto, dum adhuc esset in utero matris, fuit institutus. CHRISTVS prædicauit pœnitentiam, & sacramentum Baptismi instituit. Ioannes item pœnitentiam prædicauit, & primus omnium cœpit baptizare aqua, imo ipse CHRISTVS fuit à Ioanne baptizatus. CHRISTVM seeuti sunt Apostoli, multique discipuli. Ioannes quoque discipulos, multosque suæ doctrinæ imitatores habuit. CHRISTVS ob prædicationem veritatis multas passus est à Iudeis persecutions, & tandem iniustè ab eis occisus. Ioannes similiter ob dictam veritatem, ab Herode incarceratus est, & Herodiadis tandem opera ē medio sublatus. CHRISTVS fuit verus Sol, Ioannes vero ardens & resplendens lucerna: CHRISTVS erat filius Dei; Ioannes vero etat eiusdem Dei angelus. CHRISTVS erat

erat verbum , Ioannes autem vox verbi . CHRISTVS erat magnus ille rex & Dominus , qui venit aditurus possessionem mundi . Ioannes autem fuit eius p̄æcursor missus ad parandam viam & locum ipsi Dōmino . CHRISTVS erat sponsus cælestis , cui desponsanda fuit fidelium Ecclesia ; at Ioannes fuit amicus sponsi , imò paronymphus & mediator huius spiritualis Matrimonij . Fuit denique Ioannes tam rarae & admirandæ sanctitatis , ut homines in eam opinionem venerint , ipsum esse CHRISTVM , hoc est , Messiam à Deo in lege promissum , sed humilius Ioannes , potius eligens solidè consistere in seipso , quam vanâ opinione hominum effterri supra se , apertè confessus est se non esse CHRISTVM . Qua humilitate meruit fieri & singularis CHRISTI amicus , & plusquam propheta , & post sanctissimam Dei matrem inter omnes natos mulierum maximus .

3. CONSIDERA in hac natuitate Ioannis mysteriorum plena , quomodo natus sit è Patre muto : Zcharias enim , quoniam dubitatet de

pro-

promissione angeli, vsu linguae pri-  
uatus est; deinde quomodo natus sit  
ex matre admodum vetula & sterili.  
Quid verò aliud mutus Zacharias de-  
signat nisi vetus testamentum? &  
Ioannes, quod nomen significat do-  
mini gratiam, quid præfigurat nisi  
nouum? Tunc ergo vetus testamen-  
tum amisit vocem & obmutuit, quā-  
do veteri successit nouū: cum enim  
inciperet se prodere gratia Euange-  
lij, prophetarum oracula cesserunt,  
antiquæ completæ sunt figuræ, ac  
ceremoniæ omnes & sacrificia legis  
finem suum obtinuerūt. Tunc quo-  
que synagoga vetus in Elisabetha in  
illam usque horam sterili præfigura-  
ta, cœpit parere filios gratiæ in Ioan-  
ne præsignatos. Atque ideo rectissi-  
mè dixit Dominus, Legem & Pro-  
phetas in Ioanne completos, & exil-  
lo tempore regnum cælorum vim  
pati cœpisse. Quid igitur mirum Io-  
annem sua natuitate, non solum  
matri, sed ut dixit Angelus, etiam a-  
lijs multis, tantam attulisse lētitiam?  
sicut CHRISTVS, qui est ipsa gratia,  
attulit quoque sua, non solum mun-  
dum, sed etiam ipsum cælum infini-  
to complendo gaudio. Vnde merito  
dici

dici potuit Elisabethæ , quod dixit propheta,dum gratularetur Synago-  
gæ,quod à Christo facta esset fœcū-  
da , & noua,multoqué fœlicior ma-  
ter. *Lætare, inquiens,sterilis, quæ non Isa.54.*  
paris,decantalaudem, quæ non parturie-  
bas , quoniam multi filij desertæ magis,  
quam eius quæ habet virum . Merito er-  
go,& magna ex causa lætata est Eli-  
sabeth , omnesque alij congratulati  
sunt ei de misericordia ei à Domino  
præstita,non solum quia Dominus  
ab ea sustulerat sterilitatis opprobri-  
um,generatque filium: sed quia ge-  
nuerat Ioannem, illum, qui , stellæ  
matutinæ instar verum solem ante-  
gressus,veterisque legis nocti finem  
imponens suo ortu fœlix diuinæ &  
claræ gratiæ luci principium erat da-  
turus

4. IN die octauo venerunt circuncide-  
re puerum . Fuit Ioannes circuncisus,  
non quod opus haberet circuncisio-  
ne(erat enim in ipso matris vtero à  
Spiritu sancto circuncisus , & in  
CHRISTO spiritualiter baptiza-  
tus)sed ad obsequendum legi, & ne  
populo ullum offendiculum præbe-  
ret:quod fecit exemplo CHRISTI,  
cuius spiritus illi erat, antequam na-

N scie-

288 MEDITAT. DE  
sceretur, cōmunicatus. Cognati eius  
cogitāt illi imponere nōmē Patris,  
Zacharię; is enim mos erat in populo  
receptus, primogenitū (maximē quā-  
do erat vnigenitus) paterno appella-  
re nomine. Verū mater se opponēs,  
voluit cū vocari Ioannē, q̄ nōmē, so-  
lo ore angeli patefactū eius Patri, cū  
à marito, vtpote post apparitionē an-  
geli muto, Elisabeth cognoscere nō  
potuerit, necessariō diuina reuelatio-  
ne didicit. Nā quādo ad aduentū vir-  
ginis repleta Spiritu S. propheticē co-  
gnouit Domini prēsentia, simul etiā  
cognouit officiū Præcursoris à filio  
suo exēcendū, ac proinde & nomen  
quo erat appellandus. Cognati verò  
nō cōtentī hoc nomine, nutu explo-  
rarunt voluntatē Patris, qui cū loqui  
non posset, scripsit dicens. *Ioannes est*  
*nōmē eius* quasi dicere vellet. Hoc no-  
men nō impono illi ego, sed iā ante  
à Deo per angelum illi impositū est.  
Nomen verē nouū, nōmē ē cælo de-  
lapsum, nomen, quod, quia designat  
gratiām Dei, non illi solum populo,  
sed etiā toti mundo attulit lātum  
nunciū pacis & misericordiæ. Tunc  
omnes sunt admirati. Tunc nouo, &  
admirādo miraculo aperta Zacharię  
lingua

lingua cœpit laudare & benedicere  
Dominū, quia per fidē soluta est, quæ  
ante per incredulitatē fuerat ligata.  
Tunc veteris Testamenti os, vsq; ad  
illū (nō secus quā lingua Moysis) liga-  
tū & impeditū, loqui cœpit, & clare  
mystera, nouæq; legis gratiā prædi-  
care. Vide quanti meriti fuerit Ioan-  
nes, quia redditā Patri voce, sacerdo-  
ti restituit loquendi facultatē, ac p-  
terea illi adiunxit prophetiæ gratiā.  
Adhęc linguā, quā angelus vinxerat,  
dissoluit: & os, quod Gabriel cōlū-  
serat, loānes infantul⁹ aperuit. Quid  
verò vel dignius vel illustrius hac fi-  
de esse potest? quid gloriōsius hac re-  
ligione? in qua sterilis cōcipit, virgo,  
parit, mutus loquitur, infantes adhuc  
maternis inclusi visceribus toti mū.  
do annuciāt futura gaudia? Ac val-  
de conueniens fuit, illū, quo inter si-  
lios hominū nullus exstiterat maior,  
supra oēs sanctos in ipso sui ort⁹ prin-  
cipio tot virtutibus & miraculis emi-  
nere, vt huius noui prophetæ aduen-  
tu oēs vicini populi his admirabilib⁹  
euentis excitati, præpararent se ad  
aduentum magni Regis cuius Ioan-  
nes erat præcursor & nuntius.

s. QVOD ad hoc sanctum & my-

N 2

sticum

## 290 MEDITAT. DE

sticum nomen Ioannis attinet, vide  
quam bene significet gratiam Dei,  
ac primo quidem ob diuinæ gratiæ  
plenitudinem Ioanni communicata-  
tam, dum adhuc existeret in utero  
matris. Secundò, ad significandum  
tempus gratiæ, quod à Ioanne exor-  
dium habuit, ut testatus est CHRI-  
STVS illis verbis. *A diebus Ioannis  
regnum cælorum vim patitur.* Tertiò ob  
gratiæ ipsius excellentiam, quam Io-  
annes primo omnium erat prædicata-  
turus & annunciaturus mundo, quæ  
erat peccatorum remissio, & diuinæ  
gratiæ communicatio humano ge-  
neri facta. Vnde colligitur dignitas  
& præstantia Ioannis: nam etiamsi  
omnia alia finem habuerint, & om-  
nia prophetarum oracula conticue-  
rint, solum tamē hoc gratosum no-  
men ab angelo nominatum ante-  
quam conceptus esset, satis esset ad  
præbendum testimonium singulare  
gratiæ à Domino illi communica-  
dæ: Et certe dignum fuit, ut diuina  
gratia, quam pepererat illa quæ fuit  
gratia plena per eum qui gratia item  
plenus esset, prædicaretur: ac simili-  
ter congruens fuit, ut abundantia gra-  
tia ornatus esset ille, qui tanquam li-

Matt. II.

mes

mes distinguere debebat tempus gra-  
tiæ, à tempore veteris legis. Etenim  
is primus meruit digito demōstrare  
præsentem illum Saluatorem, quem  
lex & Prophetæ venturum promi-  
serant . Fælix es Ioannes, quia no-  
men tuum scriptum fuit in cælo,  
& ore Angeli patefactum, antequam  
scriberetur in terra , & ore homi-  
num publicaretur. Fælix , qui, an-  
tequam huius mundi degustares la-  
bores, meruisti recipere prius grati-  
am quam vitam extra maternum v-  
terum : prius cernere lucem cæli,  
quam terræ . Vnde quomodo un-  
quam potuisset culpa & peccatum  
aditum inuenire ad te , cuius ani-  
mam sanctam Deus inde à prima  
origine totam occuparat ? Verè  
magnum donum est esse à Spiritu  
sancto illustratum, sed longe maius  
esse ab ipso Spiritu repletum . Qua-  
re sicut vas balsamo plenum non  
admittit alterius liquoris mixtio-  
nem ; sic in anima Ioannis (in qua  
plena regnabat sanctificatio) locum  
habere non potuit vlla sæculi macu-  
la. Quid igitur mirum, si præter legē,  
qua omnes infantes nascuntur cum  
actu, solus Ioannes cum gaudio suā

N. 3.

Nas.

Natiuitatē præuenerit : prius siquidē diuinās cœpit possidere res quā humanas, prius Deo viuere, quam sibi ; & antequam cerneret præsentia, meruit prænunciare futura.

6. ERGO diuulgatis per vicina loca omnibus admirabilibus quæ in Natiuitate Ioannis acciderant, omnes stupore pleni inuicem dicebant. *Quis putas puer iste erit ? qui vix natus, res fecit tanto stupore plenas ? Vide quemadmodū hic sanctus puer nondum loquatur, & tamen sola sua præsentia in mundo, omnes complet admiratione.* Nondum in deserto prædicat, nec CHRISTVM digito demonstrat, & iam animos commouet & totius populi corda præparat ad recipiendum ipsum. Ceite si Ioannes in tam tenera ætate, dat signa tantæ virtutis & potentiae, quid arbitramur eum facturum in ætate matura, quando aspernime vitæ exemplo, & prædicatione, aures populi verberabit, his terribilibus verbis. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira ? facite ergo fructum dignum pœnitentia. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non fa-*

Matt. 3.

63

tit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Ac profecto nullo alio vel exemplo, vel Spiritu & zelo opus fuit, quam Ioannis ad frangenda illa dura pectora, comprimendosque tumidos & superbos populi Iudaici spiritus. Vnde optimè dixit Angelus (loquens de eoad patrem Zachariam) illum præcessurum Dominum in Spiritu & virtute Eliæ, cui Ioannes & austerritate vitæ, & loquendi libertate, & diuini honoris zelo, salutisque animarum fuit simillimus. Iam verò vos simplices turbæ, quæ, dum alter alterum percutuntur, declaratis vos magno desiderio teneri cognoscendi statum futurum huius pueri, primùm quærite à veteribus prophetis, & respondebit vobis Malachias, per cuius os loquens Deus dixit. *Ecce ego mitto angelum meum, qui preparabit viam ante faciem meam.* Ioannes igitur Angelus Dei est, & primo quidem ob officij sui dignitatē, quod erat, esse Dei Legatū: nam sicut officiū angelorū est res occultas reuelare, sic Ioannis officiū fuit nouæ legis mysteria p̄dicare, quæ prius erāt occulta. Officio quoq; angeli fungebatur Ioannes, quando

*Mal. 3.*

294 MEDITAT, DE  
peccatores abducebat à malo, & hor-  
tabatur ad bonum, illisque cælesti  
præmium & æterna proponebat  
supplicia. Præterea Ioannes dicitur  
**A**ngelus ob innocentiam suam vir-  
ginalem, vitæque angelicæ purita-  
tem, quam in deserto agebat; qua de-  
re & à **CHRISTO** coram turbis  
laudatus est. Fælix Ioannes, qui ta-  
lem meruit habere suarum virtutum  
præconem. Vnde verè dici potest,  
ad maiorem Ioannis gloriam per-  
tinuisse, quod existens homo me-  
ruiisset virtute sua vocari Angelus,  
quam si nomine & natura angelus  
fuiisset. Secundo rogate ab ipso an-  
gelo Gabriele. *Quis putas puer iste erit?*  
& respondebit vobis idipsum quod  
dixit Patri de eo. *Erit enim magnum co-*  
*ram Domino.* Multi superioribus sa-  
culis vocati sunt magni, vt Ale-  
xander, Pompeius, & alij, sed hi non  
coram Deo, sed hominibus tan-  
tum fuere magni. Fuerunt deinde  
alij tempore Legis, vt Abrahā, Moy-  
ses, Dauid, alijq; multi, ob excellen-  
tem sanctitatē & virtutem dicti ma-  
gni, sed nullus eorum magnitudine  
& excellentiam attigit Ioannis. Pri-  
mo enim ille exstitit magnus in co-  
ceptio-

ceptione, tum quia fuit miraculosa, utpote à parentibus iam ætate confusa & sterilibus, tum quia & concepcionis, & nomen, & vitæ eius qualitas cælitus ore angeli fuit annuntiata. Fuit quoq; magnus post conceptionem, eo quod in utero materno fuerait sanctificatus, & Spiritu sancto repletus. Secundò magnus fuit obres admirabiles, quæ, ut diximus, in eius nativitate euenerunt. Tertiò fuit magnus in totius vitæ suæ progressu, in continentia virginali, in abstinentia, iustitia, fide, prædicacione, sapientia, ac denique in fortitudine & constantia sua pro veritate, usque ad mortem. Quartò fuit, & esse magnus Ioannes, postquam ex hac vita excessit, ob remunerationis & præmij cælestis magnitudinem, nam præter glorioſorum eius mercitorum multitudinem, tribus sigillatim aurcolis & excellentijs in celo resulget, quarum prima est virginitatis; secunda doctrinæ & prædicationis. tertia illustris martyrij. Merito ergo Ioannes, non solum fuit magnus, ut dixit Angelus, sed etiam teste Domino Angelorum, inter omnes hominum filios

7. Deinde vide quomodo tertio  
loco etiam Zacharias Ioannis pater  
turbis percunctantibus, *Quis putas*  
*puer iste erit?* responderit illis verbis,  
quæ prophetans ad ipsum puerum  
dixit, *Tu puer propheta altissimi vocaberis*. Alij quoque veteris Legis sancti  
appellabantur prophetæ Dei, at Io-  
annes singulariter dictus est Proph-  
eta altissimi: nam alijs procedente  
tempore à Spiritu sancto hoc do-  
num obtinuerunt (vnde & nati  
sunt, vt postea prophetarent) sed  
Ioannes sua natuitate prædictis  
**CHRISTVM**, & ex utero ma-  
tris cum salutauit. Alij prophetæ  
fuerunt à Spiritu sancto illustrati,  
sed Ioannes fuit Spiritu sancto re-  
pletus. Fuit quoque Ioannes omni-  
um prophetarum terminus. Vnde  
sicut stella auroræ, quo soli vicinior  
est, apparet maior, & plus alijs ful-  
get: Sic Ioannes quia postremus fuit  
& **CHRISTO** iustitiae soli vici-  
nior, fuit maior, alijsque prophetis  
illustrior. Imo, sicut illum bene ap-  
pellauit Dominus, fuit non solum  
propheta, sed etiam plus quam pro-  
pheta. Nam **Saluatorem**, quem alij  
à lou-

à longe prædixerunt, & cum desiderio summo eum videndi salutarunt, Ioannes suis oculis contutus est præsentem, in Iordanæ baptizauit, & dígito monstrauit, dicens, *Ecce agnus Dei. Iam verò bonæ turbæ, petite quoque ab ipso CHRISTO.* *Quis putas puer iste erit?* quam opinionem habeat de illo: & ipse respondebit, illum non solùm plus esse quam Prophetam, & quod in mundo non sit aliis eo maior: sed etiam fuisse lucernam ardentem, & lucentem. Fuit Ioannes verè lucerna, quæ luce à Domino communicata, discussis veteris legis tenebris, cœpit cæcum populum illuminare, ut posset splendorem clarissimi Solis post ipsum orituri sustinere. Et hæc est lucerna, de qua loquens D E V S per Prophetam dixit. *P. Psal. 131.*  
*Qui lucernam CHRISTO meo.* Tunc autem lucerna hæc fuit accensa, quando adhuc maternis inclusa visceribus, ad æternæ lucis præsentiam; tota fuit diuinæ charitatis incendio inflammata. Tunc admissis veri luminis radijs supernæ gratiæ liquore fuit cōpleta; sic protinus, ut ex eius plenitudine, cuius &

## 298 MEDITAT. DE

mater particeps facta est, adhuc vtero  
clausa virginis in Spiritu cognorit  
verbi incarnati mysterium. Valde  
autem congruens erat, Ioannem, qui  
venerat ad testificandam, manife-  
standamque lucem de cælo ad illu-  
minandos homines delapsam, ipsum  
quoque esse lucem. Itaque Ioannes  
erat lucerna, quæ primò in se ipsa  
ardenti quadam caritate & zelo sa-  
lutis humanæ flagrabat. Secundò lu-  
cebat alijs exhibendo CHRISTVM,  
hortandoque populum, ut eum tan-  
quam Messiā in lege promissum re-  
ciperent, eiusque fidem & doctrinā  
amplecterentur. Lucerna quoq; fuit  
alijs, ob splendorem eximiarum vir-  
tutū: erat enim omnibus raru quod-  
dam humilitatis exemplum, pudici-  
tæ speculum, virginitatis ornamen-  
tum, lumen sapientiæ, forma inno-  
centiæ, exemplar continentia, regu-  
la paupertatis, viuaq; & perfecta idea  
pœnitentiæ, contemptus mundi &  
sui ipsius: Quam pœnitentiam, sicut  
voce prædicauit, alijsq; persuasit, sic  
opere in se perfectè expressit, quādo-  
quidē à teneris annis deserta patria  
& parentibus, in horridum se abdidit  
desertum, ubi aspero testus cilicio

ex

expilis camelorum texto , vilissimis  
locutis, melleque sylvestri vitam to-  
lerabat, contentus aqua pro potu, &  
nuda humo, pro lecto. Iam si is qui-  
tam copiosa gratia in utero matris  
fuit ditatus & sanctificatus, & in na-  
tivitate sua tot benevolentiae diuinæ  
inditijs à Domino honoratus, factus  
est cultor eremi, tantaque seueritate  
pænitentiae carnem suam castigauit;  
quis hominum reperietur, qui audet  
gloriari vel de sanctitate, vel aliqua  
virtute singulari? O Ioannes inter o-  
mnes sanctos sanctissime, mirari tuā  
sanctitatem possumus, imitari non  
possumus. Itaq; meritò inter omnes  
hominum filios nullus te maior fuit  
qui fuisti mente & corpore Virgo,  
passione Martyr, prædicatione Do-  
ctor, reuelationum copia Propheta,  
conuersatione Sanctus, ac denique i-  
mitatione Angelus.

¶ POSTREMO , petite ô tur-  
ba ab ipso Ioanne ( sicut petiuerunt  
Pharisæi, à Pontificibus & Sacerdoti-  
bus ad eum missi ) Tu quis es? & respon-  
debit . Ego vox clamantis in deserto . *Iean. 1.*  
O profunda præcursoris humilitas .  
Prophetæ, homines, angeli, ipse Deus,

300 MEDITAT. DE  
tot laudibus illum ornant, & super  
alios extollunt, sic ut vocent, non  
& hominem, sed Angelum Dei; ipse  
verò ait se non esse nisi simplicem  
vocem, & sonum, qui nullam ha-  
bet subsistentiam, sed in aerem eu-  
nescit. Hanc humilitatem non ha-  
buit primus angelus Lucifer, qui vo-  
luit usurpare sibi gloriam diuinita-  
tis: nec habuere primi nostri paren-  
tes, qui diuinæ sapientiæ similitu-  
dinem assumere voluerunt. Con-  
tra humilius Ioannes, cum obla-  
tum ei esset & nomen, & dignitas  
Messiæ, iamque homines parati es-  
fent ad eum pro Messia recipien-  
dum, constanter tamen hunc ho-  
norem repudiauit, imò etiam hu-  
milius se abiecit, asserens, se non  
solum non esse CHRIS TVM per  
sed nec dignum, qui se ad eius abi-  
ceret pedes, & corrigiam calceamen-  
torum eius solueret. Vnde Dominus  
( qui dixerat humiliantem se exal-  
tandum ) voluit se manui, quæ se  
reputabat indignam tactu ipsius pe-  
dum, diuinum suum caput submit-  
tere, ut ab eo baptizaretur. Verum  
quis erat iste clamans in deserto,  
cuius Ioannes erat Vox, nisi CHRI-  
STVS

B. VIRGINIE. 201

STVS ipse? cuius diuino spiritu  
Ioannes erat plenus, & per eum lo-  
quebatur. Tunc ergo cœpit C H R I-  
S T V S per eius os clamare, quando  
nimirum adhuc latebat in utero ma-  
tris, & cum voce non posset, mo-  
tu saltem & exultatione conabatur  
manifestare præsentiam saluatoris.  
Clamauit etiam C H R I S T V S per  
Ioannem, quādo natus vocem resti-  
tuit Patri, & per os eius prophetauit,  
ac benedixit Dominum D E V M  
Isræl, qui dignatus erat visitare &  
redimere plebem suam. Clamauit i-  
tem C H R I S T V S per Ioannem,  
quando in deserto prædicans, popu-  
lum hortabatur ad pænitentiam, &  
ad præparādam viam Domino post  
se venturo. Tota quoque Ioannis  
conuersatio in illo deserto, ab in-  
eunte ætate usque ad mortem, quid  
aliud fuit quam continuus C H R I-  
S T I clamor, exemplo Ioannis in-  
uitantis homines ad contemptum  
mundi, ad mortificandam carnem  
cum pænitentia? immò & in morte  
ipsa Ioannis clamauit Christus, ex-  
emplo fidelis sui serui decens mun-  
dum, vitam potius, quam veritatem  
& iustitiam deserendam. Christus  
ergo

302 MEDITAT. DE  
ergo erat qui clamabat. CHRISTVS  
erat æternum Patris Verbum, & Io-  
annes erat vox, ac recte: nam sicut  
verbum ore expressum, manet in-  
fixum animis audientium, vox ve-  
ro subito euanscit: sic Ioannes in-  
star vocis defecit & præteriit, sed  
verbum Dei semper crescit, & in æ-  
ternum manet cordibus fidelium in-  
fixum. Ita enim ipse Ioannes loquens  
de CHRISTO confessus est, di-  
cens, *Illum oportet crescere, me autem  
minui.*

*Iean. 3.*

9. CONSIDERA denique  
quantum gaudium & exultatio fue-  
rit boni illius Zachariæ patris Ioan-  
nis, cum videret in extrema sua se-  
necta se à Domino donatum filio  
tantæ sanctitatis & expectationis;  
quando vidit sibi ipsius Domini be-  
neficio, ac filij merito vocem vsum-  
que linguae restitutum: quando spi-  
ritu propheticō plenus, cognouit  
non solum puerum illum à DEO  
missum in eius præcursorē, sed i-  
psum D E V M , saluatoremque  
mundi esse vicinum, imò præsen-  
tem, ut pote à Ioanne manifestatum  
& digito demonstratum. Quare ni-  
hil

hil mirum eum tanta exultatione  
circumuallatum , in diuinis erupi-  
se laudes, & deuotissimum illud ac-  
ciniisse canticum , Benedictus Do-  
minus DEVS Israhel, quia visitauit & Lm. 3.  
fecit redemptionem plebis suæ . Eia ani-  
ma mea , lætemur & nos cum hoc  
sancto Propheta , & infinitis laudi-  
bus & benedictionibus Dominum  
Deum veneremur , qui per viscera  
misericordiæ suæ dignatus est nos,  
longissimè per peccata nostra ab i-  
pso disiunctos, apprendo in carne  
visitare, quærere & iustificare . Qui  
visitauit nos misericordis medici in-  
star , ad curandum inueteratum su-  
perbiæ nostræ vulnus nouo & ad-  
mirabili suæ humilitatis exemplo.  
Adhæc fecit redemptionem plebis  
suæ . Non eramus adhuc plebs eius,  
quando Dominus in mundum ve-  
nit, imò inimici potius eius, & plebs  
diaboli : verum ipse, redimendo  
nos sibi acquisiuit, & ex inimicis a-  
micos fecit , ac in suam plebem ele-  
git . Nam cum venditi essemus sub  
peccato, & miseræ seruituti antiqui  
nostrí hostis addicti , ille persoluto  
sanguinis sui pretio gratuito nos-

libe-

304 MEDITAT. DE  
liberavit. non enim , teste eius Apo-  
postolo , redempti sumus corrupti-  
bili auro & argento , de vana no-  
stra conuersatione , sed pretioso  
sanguine quasi agni immaculati, ut  
ex manibus inimicorum nostrorum  
liberati , possimus illi seruire in  
sanctitate & iustitia coram illo o-  
mnibus diebus nostris . Ceterum  
in quo statu erat mundus, & quo lo-  
co erant res nostræ , quando hic cœ-  
lestis Medicus nascens ex alto nos  
visitauit: certe, ut bene dicit hic San-  
ctus Propheta, inuenit nos sedentes  
in tenebris, & ymbra mortis, hoc est  
diuturna peccati & ignorantiae cœci-  
tate oppressos, & anti qui hostis frau-  
de multis erroribus obnoxios , qui  
ad æternam mortem nos pertra-  
hebant. Vnde benignissimus DO-  
M I N V S noster aff-rens, veram  
cognitionis suæ lucem, nostrorum  
que errorum tenebras discutiens,  
veram ad patriam cœlestem viam  
patefecit , & actionum nostrorum  
gressus direxit , vt illam veritatis  
viam ingredieremur, quam ille com-  
monstrauit, ac tandem etiam perpe-  
tuæ pacis domiciliū nobis promis-  
sum

sum occuparemus. Verum quid Domine dulcissime te permouit , quid impulit , vt gloriosum illum & regium thronum tuum defereres , & in hanc vallem lachrymarum , misericordiarumque plenam descenderes ? nisi , sicut bene dixit hic Sanctus Prophet , viscera misericordiae tuæ , illa intima charitas , illa amoris plena & vere paterna viscera , ille amor impatiens , quo quodammodo declarabas , te Deum non esse , nisi miserum hominem participem faceres tuæ diuinitatis . Hic amor effecit , vt descenderes de celo ad nos visitandos . Hic fecit , vt carnem nostram assumeres , & nobiscum conuersari posses . Hic fecit , vt tolerares tantos labores , iniurias , ærumnas ; ac denique hic effecit ut patereris , & vitam exponeres pro nobis , vt nos possimus fieri hæredes regni cælestis .

B. nedicamus ergo anima mea Dominum nostrum in omni tempore , ei<sup>o</sup> laudes semper sint in ore nostro , cōtinenter eum habeamus in corde & memoria nostra ; & virtutes eius predicemus , quoniam ex tantis tenebris nos in admirabile & gloriosum

lumen

*Luc. I.*

lumen suum vocavit. Eia quis dabit mihi Deus meus, quando veniet dies ille, ut ego quoque emergens ex his tenebris & umbra mortis, a beneficio tuo è tot mundi loqueamur & è manibus omnium inimicorum meorum liberatus, sine timore coram te seruiam in sanctitate & iustitia perfecta, omnibus diebus vita mea, imò in omnem æternitatem?

## COLLOQUIVM.

**O** Dulcissime IESV, ô lux vera in tenebris lucens, quæ de celo descendisti ad illuminandos omnes homines, tuarumque abundantium benedictionum radijs dilectum, & fidelem amicum tuum Ioannem præuenisti, sic ut prius tibi natus sit, quām è ventre prodierit; ante cognorit te Deum suum, quam ipse à mundo agnitus fuerit: quem prætulisti omnibus reliquis veteris Testamenti sanctis, ut præcederet ante faciem tuam velut nuncius, præcursor & Angelus D E I. Sicut igitur Dominus clementissimæ tuæ immen-

sabo:

sæbonitati placuit humilem Ioannem ad tantam dignitatem euhere, ita rogo, ut pro infinita misericordia tua velis quoque animam meam vehementer per peccata depresso & humiliatam erigere, ut in posterum secutus exemplum, salutaria- que consilia tui præcursoris, diri- gam pedes meos in viam salutis, si- mulque per huius gloriosi sancti merita mihi misero peccatori con- cedere velis, ut sicut ille in primo tuo aduentu præ nimio gaudio exi- liit: sic etiam ego in secundo tuo aduentu possim gaudere, & vnà cum omnibus angelis & sanctis in gloria tua exultare.

## DOCUMENTA.

1. **D**I X I T Angelum Ioannem ma-  
gnum futurum coram Domino.  
Vnde discimus, veram magnitudinem  
non consistere in ampio dominio, in op-  
ibus, rerumque multarum scientia, sed in  
virtutibus, & in vita sanctitate. quem-  
admodum liquebit in altera vita, quando  
cuique dabitur præmium secundum meri-  
ta. tunc enim iusti & amici Dei, qui

in

in mundo habitì sunt pauperes , contem-  
pti , & abieoti , exaltabuntur , & inter pri-  
mos cœli Senatores colloquuntur . Qui  
verò in mundo habitì sunt in oculis homi-  
num magni , stabunt sub eorum pedi-  
bus ; nisi deteriorem aliquem locum conse-  
quantur .

2. Cognati Ioannis , vrgebant , ne isto ,  
sed Paris potius nomine , vel alicuius al-  
terius ex familia appellaretur . Verum  
Zacharias & Elisabeth persistuerunt in  
sua sententia , nec permiserunt aliud no-  
men ei imponi , quam ab Angelo erat  
patefactum . Qua re exemplum datum  
est parentibus , ne putent honorificum es-  
se imponere filijs maiorum suorum no-  
mina , qui sëpe fuere profani ; & gen-  
tiles potius quam Christiani , sed nomi-  
na Sanctorum & religiosorum , tum quia  
illa fuerunt hominum Deo gratorum ,  
cum quo etiam nunc regnant in celo ,  
tum quia sëpenumero pueri ad sui nomi-  
nis Sanctum afficiuntur , eiusque virtu-  
tes libenter imitantur , & recipiunt in  
aduocatum .

3. Ioanni impositum est nomen cum cir-  
cuncideretur , vt intelligamus nullum no-  
men in librum vitæ referendum , nisi prius

cor juum , animique sensus ab omnibus  
cupiditatibus carnalibus circumcidetur;  
nisi omnibus desiderijs & voluptatibus  
iusticii mundi & carnis renuntiarit : ne-  
que enim in uno eodemque corde diuer-  
sari possunt , Deus simul & mundus, de-  
liciae diuinæ, & illecebrae carnales Vnde  
si homo elegerit unum, necesse est ut repu-  
djet alterum.

4. Hoc nomen Ioannis interpretatur  
gratia Dei . Itaque si velimus nobis con-  
stare , simusne in gratia Dei , quemque  
gradum gratiae apud diuinam eius Mai-  
estatem obtinuerimus , diligenter excu-  
tiuum vitam nostram , eamque cum vi-  
ta Ioannis comparemus , cum puritate ni-  
mirum illius , humilitate , pœnitentia , so-  
brietate , feruore , & zelo animas iuuandis  
& secundum progressum quem in his vir-  
tutibus nos fecisse animadueremus con-  
uenienter vitae Ioannis , poterimus quoque  
coniscere ad quem gratiae , gradum perue-  
nerimus.

5. Eliam si mater Dei intrasset domum  
Zacharie patris Ioannis , ibique reman-  
sisset mensibus tribus , sua C H R I-  
S T I Q V E presentia domui illi tantas  
offerens gratias & benedictiones , non  
tamew

310 MEDITAT. DE  
tamen ideo vox illi fuit restituta, sed  
mutus permanfit usque ad filij circumci-  
ssionem. Vnde discimus primò, pœnas  
temporales huius sæculi saepe vtilius re-  
linqui hominibus, quam tolli, nempe ob-  
maiorem eorum humilitatem & mer-  
itum. Secundò, Dominum solitum relin-  
quere eiusmodi pœnas & flagella pro  
peccatorum nostrorum satisfactione: nam  
et si, quando peccatores diuinæ restituun-  
tur gratia, tollatur culpa, & conse-  
quenter pœna æterna, nihilominus rema-  
net obligatio alicuius pœnae temporalis,  
que similibus flagellis expiatur & tol-  
litur.

6. Zacharias post linguam diuinæ bene-  
ficio solutam mox primo quoque verba  
erupit in laudes & benedictiones Dei,  
informans nos, ut simularque cognoue-  
rimus nos aliqua gratia spirituali vel  
temporali à Domino donatos, ante om-  
nia non ore tantum, sed etiam operibus  
reddamus gratias, suæque diuinæ Maiesta-  
ti nos gratos exhibeamus, tum quia  
D E V S ipse in se omni laude & bene-  
dictione dignus est, tum vt gratiam  
acceptam conseruemus, vel etiam auges-  
timus.

7. Ioannes à puerò recepit se in deser-

THM

um ad agendam pœnitentiam, ut intel-  
ligamus bonum esse portare iugum Domi-  
ni à prima adolescentia, honorumque ope-  
rum studio se assuefacere, dum natura ad-  
buc tenera est. nam velut arbor iam ma-  
tura & indurata potius frangitur, quam  
flectitur: sic homo, si ab ineunte æate  
non se inflectit & inclinat ad bonum,  
cum ad maturitatem peruererit, etiam-  
si maximè velit, non poterit tamen, ni-  
si cum summa difficultate prauam con-  
suetudinem vincere, & ad bonum se in-  
flectere, nisi Deus potenti manu sua ei suc-  
currat.

8. Ioanni satis non fuit in solitudine  
degere, sed in ea quoque sanctissimam vi-  
tam virtutibusque plenam traduxit. Un-  
de colligere possumus, religiosos non debe-  
re gloriari, aut securi esse, hoc solo nomi-  
ne, quod versentur in religione, aut mul-  
tos annos in ea consumperint, nisi etiam  
sancte & religiosè vixerint: immo nihil  
eis proderit, sed potius vehementer obe-  
rit, si solo nomine religiorum contenti  
sint, & vitam nomini non conforment. ut  
enim ingredi religionem est summa per-  
fektio, ita non vivere in ea religiosè, sum-  
ma damnatio est.

9. Ioannes ut securè propriæ perfectio-

O ni con-

ni consequendæ operam daret, & animam suam immunem à peccato seruaret, hominum conuersationem, & mundum ultum fugit, docens nimisrum exemplo suo, difficulter in mundo custodi viæ innocentiam, & sanctitatem acquiri. nam, ut dicit quidam Sanctus, sicut impossibile est arborem in via publica posse conservare suos fructus usque ad maturitatem: sic quasi impossibile est, ut homo remanens in mundo, immunis maneat à peccatis: Et sicut in eodem periculo sunt illæ arbores, quæ licet plantatae in horto concluso foras tamen suos ramos porrigunt, sic ut præterentes, licet arborem attingere non possint, possint tamen deinceps fructum, sic religiosi, qui existentes in cœnobio implicant se negotijs sæcularibus, in magno periculo sunt, ne à diabolo bonorum operum fructibus spolientur.

10. Dixit C H R I S T V S Ioannem esse lucernam ardenter & lucentem. Seruo Dei & Christiano satis non est esse lucernam tantum, hoc est, ut habeat tantum fidem & nomen Christiani sine charitatis ardore, & bonorum operum luce. nec satis est hanc lucernam tantum in speciem splendere operibus bonis & pisis,

B. VIRGIN E.

319

¶ pijs, sed necesse est vt in se quoque ha-  
beat ardorem charitatis. Nam esse tan-  
tum lucernam, est summa damnatio, se-  
lum splendere alijs magna est vanitas, ar-  
dere solum sibi exigui est pretij, &  
ardere simul & lucere sum-  
ma perfectio est.  
(::)

O 2 PROE